

THESES THEOLOGICÆ

DE
UTRAQUE CREATURA RATIONALI, ANGELICA ET HUMANA,
de hujus item lapsu, Actibus, Peccatis ac Reparatione facta per

VERBI INCARNATIONEM

Quas
Labaci in Templo Beatissimæ Virginis in Cælos Assumptæ Anno Domini M. DCC. LV. die 16. Septembris
Propugnârunt, Religiosi F. F. Honoratus Vadlau, & Gallus Michellitsch Ord. Min. Strictioris Observantiæ Clerici Professores
SS. Theologiæ studentes.

PRÆSIDE

P. F. Hugone Vodnikh, ejusdem Seraphici Instituti SS. Theologiæ Lectore Generali.

Primo die, quo creavit DEUS Cælum & terram, & non antea, probabiliter in ipso Cælo Empyreo creati sunt Angeli, tamquam substantiæ completæ Spirituales, compositionem physicam excludentes, ab intrinseco incorruptibiles, præstantiores homine, & ab ejus anima Specie differentes. 2. Nomen suum ab officio, non à natura sortiti sunt, id enim derivatur à Græca radice ἀγγέλλω nuncio, unde ἀγγέλος nuncijs: jam verò per usum transijt in nomen naturæ spiritualis completæ; quam in plures Species dividi, aut sub eadem plura individua existere non repugnat. 3. In fide erraverunt Athei, & Sadducæi dicentes, non esse Angelum, neque Spiritum Act. 23. Erraverunt item Priscillianistæ putantes diabolum non à DEO, sed à seipso esse. Gravi quoque censurâ digni sunt Tertullianus, & Origenes Angelis corpora tribuentes; sed graviori Centuriatores Magdeburgenses, negantes in Angelis Ordines, & Hierarchias. 4. Polent intellectu discursivo; egent specie expressa, quâ intelligunt seipso & alia objecta sibi satis applicata etiam de novo, non tamen futura contingentia libera, nec secreta cordium: sed & hæc cognoscere possent, si suæ virtuti relinquerentur. 5. Voluntas eorum est libera, & mutabilis, nec inflexibilis ab intrinseco, ac secundum portionem Superiore ad diligendum DEUM magis quam seipsum inclinatur. 6. Fuerunt aliquando omnes in statu viæ, immunes à culpa, præditi gratiâ, alijsque donis tam Supernaturalibus, quam naturalibus. In prima viæ morula omnes erant in bonis actibus uniformes: in secunda verò bonis in bono perseverantibus, mali per philautiam, superbiam &c. prævaricati sunt. 7. In tertia morula mali à bonis segregati sunt, his ad Gloriam (quam prius tempore meruerunt) evectis, illis ad æterna supplicia detrusis: quæ ipsis causat ignis corporeus non physicè, sed intentionaliter. 8. Sexto die creavit DEUS hominem ad imaginem, & similitudinem suam, eique præter alia dona, gratiam sanctificantem, & justitiam originalem ab illa distinctam impartivit. 9. Hæc porro est quædam qualitas complexa ex pluribus partialibus, carnem spiritui, & spiritum DEO subjiciens: in qua, sicut & in gratia nascituri fuissent omnes posterii Adæ, si iste steterisset fuissentque confirmati in utraque, sed non nisi post devictam primam tentationem. 10. In illo statu fuissent meliores nuptiæ, quam Virginitas. Nemo tunc fuisset moriturus, ut meritò contra Pelagium definivit Concilium Diospolitanum; hæc tamen non erat naturalis conditio, ut Bajus voluit, sed gratiæ beneficium. 11. Serpens Evam tentans fuit daemon in tali assumpto corpore. Esus pomi vetiti ad litteram accipiendus est: quo Peccavit & Adam, & in ipso omnes posterii: qui ideo nascuntur filij iræ infecti peccato originali. 12. Adæ lapsus liberum hominis arbitrium sauciavit, & debilitavit, nullatenus autem extinxit: idque etiamnum in nobis manet tamquam potentia quædam verè activa, eaque rationalis, non intellectiva, sed volitiva: cui nec Divinorum decretorum vis, nec præscientiæ certitudo præjudicat. 13. Rejeto Manicheorum, duas in homine animas alteram necessariò bonè, alteram malè operantem fingentium, errore, eidem animæ ad bonum, & malum conceditur libertas tam à coactione, quam à necessitate, & hæc utraque ad merendum, vel demerendum requiritur, etiam in statu naturæ lapsæ. 14. Ad liberam Voluntatis operationem necessaria est prævia cognitio in intellectu, hujus tamen judicium practicum etiam ultimum relinquit voluntati indifferentiam ad agendum, vel non agendum: quæ etiam in actuali operatione manet libera. 15. Libertas saltem exercitij necessariò præexigitur ad moralitatem; & neutra hæc est essentialis physicæ entitati actûs. 16. Peccatum in causa dumtaxat voluntarium incurritur in positione causæ, non verò postea, dum malus sequitur effectus; nisi perseveret, vel renovetur mala voluntas. 17. Ignorantia antecedens, & invincibilis tollit voluntarium, subsequens verò illud supponit: hinc ista nunquam, illa semper excusat à peccato formali. 18. Potest voluntati renitenti, quoad actus aliarum potentiarum ipsi obedientium, inferri violentia: & tunc actus illi sunt simpliciter involuntarij, nec præmiò, vel penâ digni. Quæ verò ex metu fiunt, simpliciter voluntaria sunt, sæpe tamen secundum quid involuntaria. 19. Primariam, & essentialiam bonitatem, vel malitiam desumit actus moralis ab objecto. Malitia quidem objecti derivatur in actum, dummodo illa sit interpretativè volita, bonitas vero non, nisi sit positivè, & directè intenta. 20. Finis bonus non cohonestat malitiam mediij mali, malus è contra inficit totum opus: idem præstat circumstantia mala. Actus externus aliquid bonitatis vel malitiæ superaddit actui interno. 21. Bonitas moralis fundamentaliter consistit in perfecta integritate eorum omnium, quæ ad actum bonum qualem ex debito requiruntur juxta dictamen rationis legem proponentis:

malitia verò in defectu omnium, vel alicujus prædictorum. 22. Prima & imò fallibilis actionum humanarum regula est lex Divina; cui conformare se tenetur creatura rationalis. Qui ergo hac neglecta alibi principia practica Juris naturæ querit, non sine gravi temeritate rem maximi momenti multis errorum periculis exponit. 23. Secundaria verò & proxima regula est propria cujusvis conscientia intimans, & applicans regulam primam. Ejus dudum sequi tenetur operans, si recta illa sit, aut invincibiliter erronea: vincibiliter autem erroneam sicut & practicè dubiam deponere quisque debet: dum agitur de transgressione legis obligantis. 24. Omne peccatum est contra legem, & repugnans naturæ rationali qua tali: hanc tamen substantialiter non corrumpit. Potest dari peccatum, non vero meritum puræ omissionis. 25. Formalis ratio peccati consistit in privatione reititudinis debitæ. Unde specifica peccatorum distinctio optimè desumitur ex diversitate oppositarum virtutum, & reititudinum. 26. Non omnia hominum opera sunt peccata, nec omnia peccata in gravitate paria: imò quædam eorum mortalia sunt, alia venialia: nec solum infidelitatis peccatum mortale est, ut vult Lutherus: nec fiducia in DEUM mortalem malitiam mutat in venialem, ut idem docuit. Erroneum pariter est Wicleffi dogma: omnia electorum peccata venialia esse, reproborum verò omnia mortalia. 27. Peccatum etiam mortale nec in ratione malitiæ, nec offensæ est intrinsecè, sed extrinsecè infinitum. Habitualmente perseverat in reatu culpæ obligantis ad penam. 28. Peccati mortalis in hac vita non remissi est sensus, & damni penæ infernalis; originalis verò sola penæ damni: quæ utramque in æternum duraturam fateri oportet contra Origenem. Venialia per satisfactionem detergi possunt in purgatorio. 29. Christum seu Messiam in lege promissum jam in hunc mundum venisse satis perspicuè convincuntur Hebræi ex illo Gen. 49. v. 10.

לֹא יִסְוֹר שְׂבִיט מִיְחֻדָּה וּמְחַקֵּק מִבְּיַי
רְגֵלְיוֹ עַד כִּי יָבֵא אֵלָיו וְלוֹ יִקְרָת עֵינָיו

præsertim si huic adjungatur Prophetia Dan. C. 9. Amos. C. 2. v. 6. & vel. 30. Messias iste alius non est, nisi Dominus noster IESUS Christus: cui omnes Scripturæ testimonium perhibent, præsertim illi viginti duo passus, quos in Evangelio suo adducit S. Mathæus. 31. Christum non tantum hominem, sed etiam verum Deum esse, atque adeo Patri consubstantialem utriusque testamenti paginæ testantur: nec in ipso Deitas gerit vices animæ, ut volebat Apollinaris. 32. Peradum ergo est in Christo admirabile Mysterium Incarnationis, & unionis hypostaticæ, quâ humana natura copulata est cum Divina in unitate Personæ solius Verbi Divini. Et hujus Mysterij impossibilitas probari nunquam potest. 33. Impium, & Hæreticum est dicere cum Eutyche humanitatem, & Deitatem in unicum transijisse naturam; sicut & cum Nestorio non tantum naturas sed etiam personas duas esse in Christo. Huic nequaquam consensit Cælestinus I. imò verò ipsum damnavit in Concilio Ephesino, ejus autoritate legitime celebrato. 34. Verbum non assumpsit corpus phantasticum, ut Cerdo putavit; nec cæleste, ut Valentinus; nec de substantia DEI, ut censuit Manichæus, sed verum corpus humanum, & animam, omnèsque partes corporis ac ipsum sanguinem. 35. Sicut in Christo duæ sunt naturæ ita & duæ voluntates. Et hoc cum Monothelitis non negavit Papa Honorius. 36. Beatissima Virgo Maria non concurrat effectivè ad Unionem hypostaticam, benè verò ad productionem, & organizationem instantaneam Corporis Christi; pro cuius formatione purissimum suum sanguinem subministravit. Nec ullatenus violata est ejusdem pudicitia Virginalis. 37. Et hæc Virginea Mater Θεοτόκος Deipara meritò appellatur: nec hoc negat S. Joannes Damascenus. Hanc porro Matris dignitatem ipsa de congruo quidem meruit, non tamen de condigno. 38. Christus venit in carne passibili principalitèr ad delendum peccatum Originale, secundariò ad personalia delenda, nòsque propriè redemit, & satisfecit pro nobis abundanter ex justitia. Venisset nihilominus etiam Adamo non peccante, sed tunc in carne impassibili. 39. Mortuus est pro omnibus non tantum electis, sed etiam reprobis: quod Semi pelagianum non est, sed Catholicum Dogma. 40. Anima ejus post mortem per realem præsentiam descendit ad inferos: post triduum mortis resurrexit Christus in corpore glorioso: & nunc sedens ad dextram Patris adoratur cultu Latriæ absoluto: ejus verò simulacris sine idololatriâ impenditur honor, & cultus respectivus. O. A. M. D. G.

THESES THEOLOGICAE

UTRAQUE CREATURA RATIONIS ET VOLUNTATIS ET IMMORTALIS
de huius item ipsius, ABO. de huius item ipsius, ABO.

VERBI INCARNATIONEM

Ladaci in Templo B. Matthei Virginis Caroli Augusti Anno Domini M. DCC. LV. die 26. mensis
Propaganda, Religio F. F. H. Religio F. F. H. Religio F. F. H.

P. F. Joannes Vobler, eiusdem Collegii Praefectus
66280



[The main body of the text is extremely faint and largely illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page. It appears to be a series of paragraphs in Latin, likely the theses themselves.]